Sächsische
36 8°
5320
Landesbibl.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/3
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/4
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

LAVDEM SILENTII

PHILOSOPHIAE CANDIDATIS

QVI MAGISTRI RENVNCIANTVR

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICO

SAMVELE FRIDERICO NATHANAELE MORO

GRAECAE ET LATINAE LINGVAE PROFESSORE MAI. PRINC.

COLL. SOCIO SOCIETATIS TEVTON. LIPSIENSIS

COLLEGA

PROCANCELLARIO

EODEMQVE

DECANO

AVGVSTO GVILIELMO ERNESTI

ELOQVENTIAE PROFESSORE

SOLENNI CARMINE DECLARAT

CAROLVS ANDREAS BEL D.

POESEOS PROFESSOR.

D. II. MARTII MDCCLXXV.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische
Landesbibliothek
9. AUG. 1962
Dresden

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/6
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

LAVS SILENTII.

Vos o qui trahitis per tot diſcrimina vitam
Terrae in viſceribus templisque foriſque ſepulti,
Artis vt antiquae veſtigia ſacra legatis,
Apidis hinc armos, illinc et Anubidis ora,
Porticibus regum magna ornamenta, feratis,
Nemone quaerendo felix ſcrutator in vllam
Incidit Harpocratis ſtatuam? nulline ruinis
Impreſſo labiis digito producere numen
Contigit, in noſtris ſtatuendum turribus, vnde
Late conſpicuum ſuadere ſilentia poſſit?
Iupiter in lucem producitur vnus et alter,
Cuius, nunc vt ſunt res, ſaxea fulgura nemo
Noſtrorum metuit, mirator multus aperto
Inſcius ore ſtupet; Vulcano, Marte, Diana,
Et Venere et Baccho, reliquoque carere deorum

Poſſemus facile coetu; ſed quam benefactor
Humani generis, multae virtutis et auctor,
Cum tacito periit nobis Harpocrate! Quot nunc
Ridiculos homines miſerosque oratio reddit!

Maiorum numis, magnorum et laude parentum,
Magnus erat Stentor, nudato vertice ſtabant,
Quo gradiebatur, cuncti, ſpatiantis honorem
Hic venerabatur, vultus decus ille colebat;
Siue ſalutaret curuato tergore Stentor,
Quisque venuſtatem, ſeu tranſgrederetur obeſa
Cervice erectus, laudabat quisque decorem.
Quid factum eſt tandem? Quid Stentoris vndique laudes
Tam ſubito in tremulos mutauit vbique cachinnos?
Eſt miſer, Harpocratis neglecta lege, locutus,
Hinc illa eſt rerum mutatio; nempe loquendo
Ipſe ſuas laudes ſuppreſſit pauo ſuperbus.
O ſi, qui tacitus fuit admiratio vulgi,
Numinis adſpectu cohibentis pollice labra
Eſſet adhortatus, ne laudibus exequiale
Imprudens cygnus cantaret carmen, haberet,
Qui nunc eſt pueris riſus, praeconia mundi.

Pythagoras ſi nil praeter praecepta tacendi
Diſcipulis graecis ex Iſidis aede tuliſſet,
Vtiliter terras eſſet peragraſſe putandus;
Eheu! Pythagorae referet quis tempora noſtris
Et praecepta ſcholis? Praecox ſubſellia doctor
Quotusquisque tacens ornaret diſcipulorum!
Qui vomit ex cathedra crudae deliria mentis.
Quotusquisque viri ſummos tenuiſſet honores,

Ni puer, occludens iam praeceptoribus aures,
Balbutire cito mallet, quam dicere fero!

Non eſt noxa leuis, quam intempeſtiua docendi
Prurigo caſtris ſolet haec inferre Mineruae;
Aſt habet, vnde queat ſapiens moderatio linguae,
Ni mens laeua foret, vitae rationibus eſſe
Sancta etiam reliquis. Balbus, mercator apertae
Naris, odoratur longinquo a littore lucrum,
Vndique ſpes tuta eſt, quo tandem, dic, ea fato
Ceſſit in exitium Balbo? deceptus odore
Forſitan eſt falſo? Non eſt; aut aequoris vndis
Merſa procelloſi, aut piratis capta carina?
Non magis. Incolumis rediit, ſed vana lucelli.
Nam male continuit ſub pectore quod bene Balbus
Inuenit; quippe ad coenam conuiua vocatus,
Spumantes inter calices effundit amico
Conſilium, vulpes damnare quod ille videtur,
Acrius inſiſtit cernens obſtacula Balbus,
Extricat nodos, obſcura illuſtrat, et omnem
Ordine rem parua temulentus pandit in hora,
Quam plus dimidio concepit ſobrius anno.
Hinc illae lacrumae: nam dum ſecurus in aurem
Stertit poſtridie vino ſomnoque ſepultus,
Iam, cui crediderat cauſam, vigilantior hoſpes
Pandit vela Notis, volitans ſuper aequora lucrum
Verſus monſtratum; ſic nunc habet ille retecti
Conſilii fructus, inuenti Balbus honorem;
Quoque magis videat, quid ſit non poſſe tacere,
Riſum vicini, quem garrulitate beauit.

Phyllis in exemplo eſt, quantum natura valeret
Corpore fingendo pulchro: miſerabile viſu,
Illam quam votis oppugnet turba procorum;
Qua ſtat, vel vadit, circumſtant ſiue ſequuntur,
Felices nimium, quibus huc accedere fas eſt.
At tales hominum ſunt res, conſtantia nusquam:
Omnes adſpectu tandem ſatiantur, et omnes
Purpureis optant vocem prodire labellis,
Diuinae mentis diuino in corpore ſignum.
Iam mouet os, omnes arrectis auribus adſtant:
Hoc negat, illud ait Phyllis, dulcisque cachinnus
Vnum quodque eius Nego concomitatur et Ajo;
Amplius extorquet quidquam de Phyllide nemo.
Triſtis abit, Veneri quod cum prudente Minerua
Tam male conueniat, numquam rediturus amator.
O vtinam Phyllis tacuiſſet, forte nouus quis,
Qui ſtatuam arderet ſine voce et mente futurus
Pygmalion ſecum junxiſſet Phyllida mutam!

At cur, ſi linguae, quaeſo, tam plumbeus vſus
Phyllidis eiecitque procos ſolamque reliquit,
Chloris, inexhauſto verborum fonte puella,
Alget, et annorum ſuſpirat virgo triginta?
Pauper an informis caret obſidione procorum?
Nil horum eſt; nam forma placet, tantosque ſub vrbem
Fundos Chloris habet, quanti comedonibus omne
Aut tribus aut quatuor poſſent ſatis eſſe per aeuum.
Dicam quod res eſt: rixoſae verbera linguae
Quisque timet, Chloris niſi miſerit hocce flagellum,
Poſt alios annos fortaſſe triginta futura eſt
Non cum dimidio terrarum nubilis orbe.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/10
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Naturae hoc vitium eſt, mulier quod nulla tacere,
Nulla poteſt linguae compeſcere flumina, donec
Euacuet pectus commiſſis molibus impar;
Eſt aliquid dandum generi, placideque ferendum
Quod mutare nequis. nec ego, mihi crede, repugno.
Chloris amatores expellat, Phaedra maritum,
Miſceat Euridice caelis clamore profundum,
Lydia priuignae narret commiſſa nouercae,
Fictaque componat veris; nihil hiſce mouebor.
Illud me mordet, quod garrulitate virorum
Nutrices adeo ſuperentur ſaepe, nec illis
Sit tantum fidei, quantum clamantibus vrbem
Per totam vetulis flores et poma. Quid omni
Tempore tam raros animi concordis amicos
Coniunxiſſe putas? vix eſt in millibus vnus
Cui credi poſſint, quae paucos ſcire neceſſe eſt.
Dic hodie ſocio, dic circumſpectus in aurem,
Per vicos Helenam moechari, luce ſequenti
Cauſa tibi dicenda eſt coram iudice moecho.
Ede ſodalitii quandam Strephontis in orbe
Stultitiam, tecum quiuis ridebit, at ille
Cras in te dicet pro roſtris, ſiue libellos
Edet, tam nulla eſt linguae moderatio. Quod tu
Committis Pyladi, paullo poſt illud Oreſtes
Idem centum aliis committet, fabula fiet,
Eſſe quod ambobus notum debebat, in vrbe.
Vnius hinc linguae ceu cuſpidis ictibus acris
Saepe ſodalitii rumpuntur vincula, multae
Forte aetatis opus, triſtiſſima bella cientur
Nunc inter reges, nunc vngues inter aniles;
Hac fluit effuſus populorum ſanguis, et illac

Surgunt zelotypi nodoſo a fuſte mariti
Conjugis in nitido nigrantia tubera tergo.
Bella haec, in regnis domibusque, Harpocratis vnus
Caviſſet digitus, ſi ſit reparabile numen.

Sed Vobiſne, VIRI, quorum iam tempora laurus
Ambit, feruenti merces quaeſita labore,
Vobis, quos ipſi nos iuſſimus edere verbis
Doctrinae gazas, commendo Silentia? Vobis,
Quos auditorum dignos diſcedere ſcamnis
Cenſuit vno animo clariſſimus Ordo virorum?
Nolo Voſmet opes doctrinae condere, numos
Gryphius vt condit; nam nulla ſcientia ſciri
Digna eſt, ſi nulli profit. Prodeſſe docendo
Vos volo, Vos moneo; ſed et eſt ſapientia quaedam
Cognita non multis, ſub pectore poſſe tenere
Quae melius reliquis tu noueris omnibus: illam
Commendo Vobis, commendo ſilentia, quando
Stultus declamat, loquitur vel amicus in aurem.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/12
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

QVi ante hos L. annos Philoſophiae et Artium Magiſtri in hac noſtra ſtudiorum Vniuerſitate renunciati ſunt, Viri Excellentiſſimi atque Apmliſſimi, recolendae eius diei laetiſſimae memoriae, quam iis boni omnes gratulantur ex animo, de Vita ſua ad me ita ſcripſerunt:

ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

THERAPIAE PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT.
MEDICAE DECANVS, REL.

Patria mihi Lipſia eſt, in qua anno huius Seculi octavo ipſis Calendis Januarii natus ſum, patre Abrahamo Chriſtophoro, Domino hereditario in Mockau, Alten, et Ploeſen, Potentiſſimo Poloniarum regi, Electori Saxoniae, a provocationum conſiliis, ſupremae Curiae Provincialis Aſſeſſore, Scabinatus Seniore, Conſule primario, templi et ſcholae Nicolaitanae Curatore; matre Anna Magdalena, Bartholomæi Leonhardi Schwendendoerferi, Juris P. P. O. Facultatis Juridicae et Academiae Senioris, filia. Puerile ingenium formavit M. Jo. Chriſtianus Hebenſtreitius, in hac dein Academia Theol. D. et P. P. primarius, in cuius diſciplina ita profeci, ut anno MDCCXXIII. in civium academicorum numerum, rectore Hofmanno, cooptarer, atque biennio poſt, Praeſide Praeceptore meo, in cathedra philoſophica compararem, paucis diebus poſt, Magiſter Philoſophiae creatus, eodemque anno iura Magiſtri legentis, conſueta Diſſertatione habita, nactus. Philoſophatus ſum ducibus Georg. Phil. Oleario, Menzio, Crellio, Lehmanno, et Jenichio. Arti medicae operam daturus, ſcholas Schacheri, Waltheri, Küchleri, Quelmalzii, Baueri, Fuchſii, adii, anno MDCCXXVI. Baccalaurei medicinae honoribus ornatus. Seceſſi dein Halam Saxonum, ibidem anno XXVIII. d. XVIII. Octobr. Doctor creatus; locum vero inter Doctores noſtros, anno XXXIII. habita ſolenni Diſputatione, promerui, a quo ipſo anno, Profeſſoris Botanices muneri, mihi clementiſſi-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/13 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

me concredito, per integros XXIII. annos praefui, dein Phyſiologus, quadriennio poſt Anatomicus, paucis vero diebus elapſis Pathologus et Facultatis medicae Senior declaratus, in quem ordinem anno XLIV. cooptatus fueram. Anno XLIX. iubente Potentiſſimo Rege, Saxonicae Nationis civis eſſe coepi, mortuo Winklero Senior electus. Poſt obitum Ludwigii, ante hoc biennium, Facultatis Medicae Decanum perpetuum eſſe me voluit Sereniſſimus Elector. Rectoram academiae ſexies adminiſtravi, ante biennium civium academicorum numero, a Magnifico t. t. Rectore Borzio iterum adſcriptus, hac nunc etiam fruens felicitate, quod per quinquaginta annos Ampliſſimae Artium Facultati fuerim coniunctior, omnibus, quae non nili per Magiſterii iura obtineri poſſunt, muneribus et dignitatibus condecoratus, huic Ordini, et univerſae Academiae, nunquam non bene precaturus.

M. BALTHASAR HOFFMANN

BOIANOVA POLONVS

Gymnaſii Martisburgenſis Rector.

Natus ſum Bojanovae, quod in maioris Poloniae Palatinatu Posnanienſi oppidum eſt, patre Caſparo, pannifice, matre Suſanna Pohlia, ſuperioris Seculi XCVII anno. Religionis et literarum rudimenta in ſchola patria, praeeuntibus magiſtris Neumanno, Exnero, et Weishauptio didici, inter continuos belli tumultus contagionisque pericula. Patre mature orbatus, ab altero oppidi paſtore M. Webero, in domicilium victumque gratis ſuſcipiebar; cuius paternum amorem beneficentiamque nullo unquam tempore obliuiſcar. Inopinata vero morte tanti benefactoris interveniente, omnis ſpes emergendi tantum non evaneſcere videbatur. Deo tamen confiſus, amicorumque obſequens conſilio, animum ad Sileſiae metropolim, Vratislauiam, aduertebam: quam anno huius Seculi XVI. ingreſſus, ea, quae domi amiſeram, heic loci affatim reperiebam. A Küpfendero rectore in Gymnaſium Magdaleneum introductus, eiusdem et Stieffii, Helwigii, Kelleri, et Rungii lectiones publicas privatasque frequentabam; quin etiam paulo poſt ad domum et menſam benigniſſimi Stieffii admiſſus, non liberos eius ſolum literis inſtitui, ſed

in

in bibliotheca etiam publica, eaque admodum numerosa, denuo in ordinem redigenda, praestiti operam. Quare quoque factum, ut in Academiam abiturus, ab illustri Senatu, Stieffii commendatione, liberale stipendium impetrarem. Oratione valedictoria habita, gratissimumque testatus animum, Lipsiam accessi, numero civium academicorum anno XXII Rectore Junio adscriptus. Ad cognoscendam Philosophiam elegi tunc temporis utrumque Müllerum et Ridigerum; in Theologia autem explicanda Boernerum, Deylingium, et Pfeifferum audivi; disputandi exercitationi adfui sub Schmidii praesidio; in Philologia sacra Carpzovio, et Starckio; in doctrina morali Berndtio, et in Historia Gebauero. Ab amplissimo Ordine Philosophico, anno XXIV. honores Baccalaurei, et sequente XXV. Magistri obtinui. Interfui deinceps collegio concionatorio, quod Ioviale appellatur, nec non societati teutonicae poëseos, Menkenio praeside. Ut ne vero benefactorum immemor videar, merito mihi recolenda est memoria Senatoris Lipsiensis, aedilitia dignitate conspicui, Winckleri, cuius iuniorem dum filium literis instituebam, praeter annuum salarium ille me mediocri quidem, benevolo tamen exhilarabat stipendio, cuius etiam nunc gratissimo recordor animo. Pari modo Rivini nomen semper mihi est, et, quoad vixero, erit maxime venerabile, utpote cuius in domo pariter praeceptoris fungebar officio: quem per quinque annos non Patronum, sed tanquam benificum patrem, eiusdemque filium seniorem, paucis abhinc annis pie defunctum, integerrimum amicum expertus sum; quorum splendidae familiae quodcunque salutis felicitatisque genus a Deo precor. Nutu tandem divino, anno eiusdem seculi XXXI. a summe reverendo Capitulo Martisburgensi ad munus Conrectoris, et anno XLII. a potentissimo Rege nostro, ad Rectoris in Gymnasio subeundum euocabar. Intra hoc temporis spatium, haut exiguum optimi ingenii Juuenum numerum ad academica studia ut praepararem, laboraui, desudavi, ingentique animi voluptate vidi et adhuc video, multos eorum eruditione praeclaros euasisse viros qui in honorificis stationibus collocati splendent, patriaeque officia praestant eximia, quos amo, quos colo, quos veneror. Soli autem Deo sit gloria! Quamdiu diuina prouidentia vitam viresque concesserit,

eadem fide, induſtria, ac pietate, mandato muneri praeero, praeſenti inſuper anno ſecundum natalium Gymnaſii noſtri ſeculare jubileum celebraturus,

---

NATHANAEL GOTTLOB DOSSE

STARGARDIA POL. BORVSS.

Natus eſt A. MDCCXLIV. parentibus honeſtis, Sigismundo Doſſe, laudati oppidi Conſule, et Anna e gente Thielia. Initia diſcendi fecit in gymnaſio Thorunenſi ab A. LIX. ad A. LXV. ſeptennio igitur integro, in ſcholis Profeſſorum Jetzii, Krieſii, Centneri, Willamovii, Nezkeri denique. Mox deinceps ad Gymnaſium Gedanenſe tranſiit, ibique ab A. LXV. ad A. LXXI. in diſciplinam ſe dedit Bertlingii, Hanouii, Gralathi, Wernsdorfii, Groddeckii, atque Sendelii, Profeſſorum, quorum gratiſſima memoria inſtitutionem et fidem, amoremque in ſe, recolit. Anno LXXI. huic litterarum Vniuerſitati noſtrae nomen dedit, humanioribus primum litteris, Theologiae deinceps operam daturus. Doctoribus hic uſus eſt Cruſio, Bahrdtio, Erneſtio, Burſchero, Moro, Platnero, Wenkio, Pezoldo, item Dreſdio; quibus habet agitque gratias, redditurus, ſi quando eueniat vt poſſit. Ita laudabiliter exacto quadriennio, rite tentatus, honores philoſophicos, cumprimum petiſſet, tabula e valuis publicis propoſita, anno proxime praeterito obtinuit.

IOANNES AVGVSTUS KRETSCHMAR

KRETZSCHWA MISNICVS.

Huius pater, Chriſtianus Auguſtus, hoc vico, propter Cizam, ludi moderator, ſuſcepit hunc filium e coniuge, nata Gellertia, anno Seculi ~~LXIII.~~ puerumque ipſe inſtituit, docuitque prima litterarum elementa; mox adoleſcenti, quem videret ad mathematum et phyſices ſtudia incendi, etiam haec tradere tentavit. Cizam ſubinde miſſus, profecit praeceptoribus Schregero, Reicharto, Hentſchio, Lipſiam venit anno LXVIII, rectore Cruſio, eſtque beneficiis conſangui-

ſanguinei ſui, Gellerti Profeſſoris, ita ſuſtentatus omni tempore, ut parentum implorare inopiam non haberet neceſſum. Elegit ſibi doctores in philoſophicis diſciplinis Winklerum; in mathematicis Bortzium, cuius benevolentiam in ſe gratus commemorat. Hiſtoriae catholicae cauſſa Burſcherum adiit: diſceptandis ex omni litteratura quaeſtionibus, Morum atque Zeunium; Funccium, qui amanuenſem adſciverat, et cuius fatetur ſe neque enumerare beneficia, neque laudare pro dignitate poſſe, mathematicis et phyſicis diſciplinis percolendis. Jam ad Theologiam converſus, praelectionibus interfuit Erneſtii paene omnibus; Bahrdtii homileticis. Nuper, ait, ſe explanationem tabulae pythagoricae edidiſſe, commendatione autem Segeri atque Eckii, accepiſſe a Patronis ſibi ignotis, eam pecuniam, quae petendis honoribus noſtris impenderetur. Superato igitur tentamine, Philoſophiae et Artium Magiſter, exeunte anno, tabula publica declaratus eſt.

DANIEL THEODORVS GRADE

GEDANENSIS.

Natus Gedani anno Saeculi octavo et quadrageſimo, patre Joanne Theodoro A. M. qui apud Trutenavienſes, in vicinia urbis, ſacris praeerat; matre Agatha Concordia, e gente Setavia. Patre praematura morte defuncto, omnem educandi filii curam mater ſuſcepit, quae tutorum, quos adhuc ſuperſtites veneratur, conſiliis ſuſtentata, nihil praetermiſit eorum, quae adoleſcenti moribus et litteris formando aptiſſima viderentur. Primum igitur traditus eſt in diſciplinam magiſtrorum de Schola Mariana bene meritorum, Mündelio rectore, (nunc in vico Käſemark ſacrorum antiſtite;) inde Gymnaſii Profeſſores adiit, Bertlingium, Verpoortenium, Gralathum, Sendelium, Kuhnium, Hanovium, Wernsdorfium Groddekium, quos de omni diſciplinarum genere praeclare diſſerentes, integro ſeptennio et ultra, diligenter audivit, eſtque ab iis ita inſtitutus, ut maximo ſe beneficio adfectum ſenſerit. Jam ut in Theologiae ſtudiis, litterisque humanioribus, longius progrederetur, ad nos acceſſit rectore Boehmio, eſtque ab eo in civium academicorum numerum relatus. Ab eo tempore ſcholas Garvii et Platneri, philo-

 ſophicas;

sophicas; Ernestii, Mori, Thalemanni, Antonii, theologicas atque philologicas solertissime frequentauit. Laudat istorum omnium doctrinam et fidem, spondetque solennibus formulis, se illorum institutioni gratissimam omni tempore memoriam adhibiturum. Anni initio Magistri Artium honores ab Amplissimo Ordine petiit, quos, quod et doctrinae copia, et suauitate morum, commendaretur, Diplomate publice proposito, merito consecutus est.

HENRICVS MICHAEL HEBENSTREIT

LIPSIENSIS

Jur. Baccal et Not. Publ. Caes.

Natus est anno huius Seculi XLV, patre Johanne Ernesto, Facultatis medicae Decano, viro de literis immortaliter merito; matre adhuc superstite, Christiana Eugenia, e gente Bossecckia. Primae aetatis annos doctrina fideliter rexerunt magistri privati, Küchlerus A. M., Apelius, Kellnerus A. M., Gottleberus A. M. Patre anno LVII. mature orbatus, gravius erat tristissimum casum laturus, nisi luctus domestici acerbitatem leniuisset tum optimae matris cura, tum affinis Scharffii A. M. ad aedem Nicolai Diaconi, in tutela gerenda fides quam multis documentis spectatam grata mente recolit. Inde in Scholam Senatoriam deductus, rectore t. t. Haltausio A. M. praeceptoribus profecit Adamio A. M. et Reiskio, quem utriusque sermonis, graeci praecipue, magistrum sibi contigisse magnopere laetatur. In hebraicis potissimum literis Mittentzweii et Thiemii opera profuit; in mathematicis disciplinis Funccii assidua institutio. Nomen inter ciues Academicos professus anno LXIV. rectore Boehmio, fautore suo inprimis colendo, in universa Philosophia secutus est Wineklerum, ac postea Crusium, cui etiam doctrinam christianam tradenti, et scholas disputatorias habenti, operam dedit. Sub idem tempus avunculi, Bossecckii, hebraicis praelectionibus interesse ei datum est. Matheſin Funccio duce porro excoluit. Philosophiae, et religionis reformatae historiam, a Burschero accepit. Gellertum, de moribus praecipientem, audiuit. Literarum humanitatis caussa Ernestium, Isocratis Evagoram interpretantem, Historiam

item

item universam, Antiquitates romanas, et Archaeologiam literariam docentem; Clodium etiam, Lucretium et Horatium enarrantem, adiit. Quibus studiis ad iuris scientiam, quam adamaverat, praeparatus, res in Imperio Germanico gestas, Statuum Europaeorum, recentiorum negotiorum inter gentes tractatorum, et patriae denique historiam, praeeunte Boehmio didicit. Juris naturalis, speciatim iuris publici universalis, et iuris legationum fundamenta, Sammeto et Schotto ducibus iecit; mox ad iura civilia progressus, romani iuris historiam, et ambitum omnem, a Breuningio, Sammeto, Schotto et Zollero, edoctus est. Artis interpretandi leges, et historiae literariae elegantioris iurisprudentiae notitiam, Sammeto acceptam fert. Germanici et Canonici iuris cognitionem ex Hommelii et Segeri, virorum aliis etiam modis optime de se meritorum, doctrina hausit; in historia ecclesiastica, in qua magnum est iuri Canonico praesidium, usus Ernestio et Burschero. Juris publici scientiam sibi comparavit a Boehmio et Segero; Saxoniae notitiam a Franckio; rei diplomaticae a Wenckio. In iure feudali Sammeto, Franckio, Segero; in cambiali Breuningio; in criminali Zollero adsedit. Coniungendum esse ratus cum iure criminali et ecclesiastico medicinae forensis et anatomiae studium, in illa praeceptoribus Ludwigio et Plazio, in hac Bosio duce, operam professus est. Examinando in iurisprudentia cum instituit Bauerus. Formulam iudiciariam, praecipue Saxonicam, exposuerunt Zollerus et Richterus; referendi ex actis facultatem omnem Zollero et Segero debet. Denique usus forensis, exercitatione, magistra optima, acquirendi opportunitatem dedit consultissimus Kindius, Senator, caussarum patronus celebris. Studiorum eius ut felix esset successus, effectum est partim electorali stipendio per quadriennium clementer ei concesso; partim Academiae et Senatus huius urbis munificentia. Inter patronos primo loco commemorat excellentissimum atque illustrissimum L. B. a Gutschmid, Serenissimi Princ. Elect. Saxon. administrum reipublicae gubernandae et Comitem Consistorianum, et illustrem Bornium, Curiae ditionum ecclesiae Misenensis regendarum Cancellarium: quibus animum ob plurima beneuolentiae documenta obstrictissimum, pie et publice testatur. Multum etiam Mageri, Viri consultissimi, opera et consiliis adiutus est. Per illud, quod in Academia exegit, tempus, disputationibus publicis bis Socius accessit, primum anno LXIV. a fratre, de

Jam-

Jamblicho, Philoſopho Syro; dein anno LXVIII. ab Eckio, de Darete Phrygio diſputante, defenſor lectus. Coeperat iam inde ab aliquot annis ſuam legitimae ſcientiae cognitionem privatim docendo in aliorum uſum transferre; ſed hoc reliquum erat, ut operae in his literis collocatae rationem publice ederet. Igitur anno LXXIII. Hiſtoriae iurisdictionis eccleſiaſticae, ex legibus utriusque Codicis illuſtratae, primam, quam ſcripſerat, partem, Segero Praeſide, e cathedra defendit, mox anno ſequente lectionibus ſolennibus, ſuper Cap. XXXI. X. de Sponſal. et matrim. et L. XXX. Cod. de inoffic. teſtam. habitis, ad examen primum, quod pro Candidatura vocant, admiſſus, et Baccalaurei utriusque iuris dignitate ornatus eſt, ex qua id ſibi commodi natum ait, ut iam publice iurisprudentiam poſſet profiteri. Aditum etiam ad forum, cauſſasque orandas, datis nuper eam ob rem ad Sereniſſimum Principem Electorem literis, parantem, Notarium publicum Caeſareum creavit Senatus Lipſienſis ampliſſimus. Honores denique in Philoſophia ſummos, petenti, Ordo Philoſophorum ampliſſ. diplomate propoſito, his ipſis diebus detulit.

GODOFREDVS GVILIELMVS PVFENDORF

LIPSIENSIS.

Piſtoris filius, natus anno huius Seculi XLV. patre cognomine, matre Maria Eliſabetha Bolenzia. Quorum parentum in ſe educando curam, digne laudare ſe non poſſe ingenue fatetur. Primis annis in ſchola Thomana praeceptores habuit Ermlerum et Matheſium, quorum inſtitutione tantum profecit, ut anno LX. in ſcholam Portenſem ampliſſ. Senatus Lipſienſis, inprimis autem illuſtr. Bornii beneficio, tranſire poſſet. Hic omnium, qui ibi bonas litteras docebant, praeceptorum, doctrina atque benevolentia, potiſſimum Grabenerr, Hentſchelii, et Geisleri, uſus eſt, quod ille numquam grata mente recolere deſinet. Sexennio elapſo rediit in patriam, nomenque dedit Academiae anno LXVI. me rectore. Primum omnium frequentauit ſcholas eorum, qui graecas et latinas litteras docerent; quam ob cauſam interfuit praelectionibus Erneſtii, Mori, cum utriusque linguae ſcriptores interpretarentur.

Lingua

Linguarum orientis addiſcendarum cauſa adſedit lectionibus Boſſeckii, Dreſdii, Hebenſtreitii. Philoſophiam omnem ex ore Cruſii, Telleri, et Hebenſtreitii hauſit; hiſtoriam philoſophorum Burſcherus, civilem et eccleſiaſticam Erneſtius, docuerunt. Jam animum applicuit ad theologiae ſtudium, itavit igitur ad Cruſium, eiusque praelectionibus, publicis et privatis, interfuit omnibus. Neque tamen neglexit ſcholas Stemleri, Bahrdtii, Erneſtii: fuit igitur inter auditores illius, cum de eccleſiae ſymbolis diſſereret; iſtius, cum theologiam dogmaticam, moralem, harmoniam Euangeliſtarum, et paſtoralem prudentiam traderet; huius denique artem interpretandi libros ſacros, plerosque N. T. libros, theologiam ſymbolicam et dogmaticam, illuſtrantis. Agnoſcit, his ſe doctoribus debere plurimum. Nuper admodum, ut petierat, ad tentamen admiſſus, Artium Magiſter e valuis publicis declarari meruit.

HENRICVS NVDOV

GEDANENSIS

Medicinae Baccalaureus.

Anno Seculi quod viuimus LII. ibi natus eſt, patre Joanne Carolo, inter Senatus ciuitatis Palaeopolitanae Gedanenſis Scribas primo, quem amiſit quatrimus; matre, quam adhuc ſuperſtitem veneratur, Agatha Eleonora, gente Griſchovia. Puerum, patre orbum, paterno animo amplexus eſt coniux materterae, S. R. Kelzius, ad aedem Mariae paſtor, cui, praeter multa alia beneficia, quae gratiſſimo animo proſequitur, etiam primam inſtitutionem debet. Hoc poſt quinquennium extincto, venit in diſciplinam rectoris Scholae Marianae, Mündelii, paulo poſt vitrici ſui, qui iam ſacris praeeſt in vico Käſemark, eſtque ab eo tam liberaliter habitus, et tam praeclare inſtitutus, ut obſtrictum ſe illi per omnem vitam lubens fateatur. E reliquis ludi Mariani praeceptoribus laudat diligentiam et fidem Kalkhofneri, Schulzii, Völkeri. Jam ad Gymnaſium academicum transgreſſus, lectionibus Bertlingii, Verpoortennii, Gralathi, Sendelii, Hanovii, Kühnii, Wernsdorfii, Groddekii denique, interfuit per biennium, eo cum fructu, ut poſſet bene praeparatus ſalutare Aca-

démiam. Venit igitur ad nos, Boehmio rectore, a quo est in civium nostrorum numero scriptus. Hic magistris usus est in Philosophia Platnero, in Mathesi Bortzio, in excolenda, veterum auctorum lectione, latinitate Clodio, Hebenstreitio, Zeunio; in Physica Funccio et Ludwigio. Cum se autem Medicinae inprimis dedisset, Decano eius Ordinis, Plazio, inprimis adhaesit, de cuius amore atque benevolentia vehementer laetatur. Fuit vero etiam inter auditores Pohlii, Bosii, Gehleri, Krausii, Haasii, Platneri, Pohlii iunioris, Leonhardi et Leskii, cum illi varias medicae artis disciplinas traderent, aut discipulos quaestionibus propositis tentando erudirent. Ineunte mense Nouembri, anni proxime praeteriti, primum diligentiae praemium, Medicinae Baccalaureatum: his ipsis diebus alterum, ab incluto Philosophorum Ordine tulit, qui rite tentatum, Philosophiae et Artium Magistrum, diplomate publice proposito, declarauit.

JACOBVS FRIDERICVS KEES

LIPSIENSIS

Juris utr. Baccalaureus, Aduocatus immatricul. et Notar. publicus Caesareus.

In hac urbe natus anno MDCCL. patrem colit Jacobum Fridericum, virum singulari et eximia virtute inclytum, Sereniss. Elect. Saxon. in administrandis aerarii e Capitulis Numburgensi atque Cizensi reditibus a consiliis; matrem Joannam Christianam, Godofredi Graevii, J. V. D. et Senatoris olim Lipsiensis, filiam, matronam omnibus sui sexus decoris ornatissimam. Hos sibi parentes optimos Dei O. M. beneficio contigisse, esseque saluos adhuc atque incolumes, summopere lactatur; in hoc elaboraturus, ut, quem a puero summis beneficiis complexi essent, filius, pietate et obsequio, virtute atque doctrina, respondeat. Prima discendi initia fecit magistro Hechtio; mox graecis latinisque litteris discendis, Leisnero, Moro, tandem et Ernestio usus est. Anno MDCCLXVIII. Academiae ciuis scriptus, rectore Boehmio, philosophiam omnem in scholis Winkleri arripuit; doctrinam morum, Logicam, et disputandi artem, Morus; Bortzius et Riedelius matheſin docuerunt. Clodium, Horatii

ratii carmina, et litterarum hiſtoriam enarrantem; hiſtoriam catholicam Erneſtium, regnorum praecipuorum Boehmium, Wenckium eandem, aeque ac rerum publicarum notitiam, hiſtoriam atque ius publicum Imperii, et patriae, tradentes, diligenter audiuit. Jam cum animum ad iuris ſtudium adiunxiſſet, primum omnium Schottum, iuris hiſtoriam atque Inſtitutiones explanantem, adiit; inde Sammetum, univerſi iuris, itemque publici univerſalis cauſa. Püttmanno adſedit ſuper hiſtoria iuris differenti; Pandectas, et ius criminale, Zollerus explicuit; Jus feudale Bauerus, Proceſſum quem vocant, artemque referendi ex Actis, Winklerus et Hommelius praeiuerunt. Frequentauit etiam ſcholas Franckii, cum is publici iuris, et feudorum praecepta auditoribus traderet. Laudat etiam praelectiones Herrmanni, in Struvii iurisprudentiam forenſem, ius canonicum, germanicum, naturale, et in doctrinam de actionibus. Cauſis extra iudicium expediendis praecepta dedit Creutzigerus; Schreberus oeconomiae, artis item publicos reditus adminiſtrandi. Ita bene inſtitutus, cathedram conſcendit anno LXXIII. Zollero duce, ut diſſertationem, *de eo quod iuſtum eſt circa praeſtationem culpae*, defenderet; quod praeclare fecit. Paulo poſt, habitis ad c. 2. X. de feudis et l. 26. C. de teſtamentis, publicis praelectionibus, ſuperatoque mox tentamine, primam Iuris utriusque lauream adeptus eſt. Inde, Sereniſſimi Electoris indulgentia, locum inter Auditores in Suprema Curia prouinciali obtinuit. Cepit eum ſubinde deſiderium videndae Goettingae: igitur, patre liberaliter annuente, ad eam ſtudiorum Vniuerſitatem ſe contulit, ductu clarorum ea urbe virorum doctrinae conſummandae. Secutus ibi eſt Schloezerum, hiſtoriam univerſam et politican tradentem; in Pandectis et iure criminali Meiſterum; in iure publico medii aevi, hodierno, germanico privato, hiſtoria iurium atque Imperii, Selchovium; Püttерum ſummorum Imperii tribunalium formulam, et Ius publ. Imp. Germ. tradentem; Boehmerum canonici iuris, artis diſputandi, iurisque feudorum cauſa; in antiquitatibus iuris romani Spangenbergium. Muſaeum, cambiale ius; Gattererum rem diplomaticam, chronologiam, numismaticam, heraldicam, docentes audiuit; in medicina denique forenſi Wrisbergio uſus eſt. Iam in patriam redux, editis pro more ſpeciminibus, inter cauſarum patronos, et Notarios publ. Caeſ. nomen

ſuum profeſſus eſt. Quos ab Ordine noſtro honores nuper admodum petiit, comprobata collegis doctrinae copia, edito diplomate, haud difficulter, nam meruit, conſecutus eſt.

CHRISTIANVS FRIDERICVS POHL,

LIPSIENSIS

Iuris utriusque Baccalaureus.

Natus Lipſiae anno huius Saeculi LII. patre Ioanne Chriſtophoro, Pathologiae P. P. O. Ordinis Medici Seniore, Academiae Decemuiro &c. matre Chriſtiana Sophia, Lechlae, S. Theologiae Doctoris et ad D. Nicolai aedem Archidiaconi, filia; quibus optimis parentibus ut Deus vegetam ſenectutem, fauſtaque omnia largiatur, ſuo et fratrum nomine ex animo precatur. Ad religionem et bonarum literarum amorem ductus eſt domeſtica diſciplina Lechlae, auunculi, Seyferthi, Hartwigii, Hennigii, Tittmanni denique et Wolfii, quo per omnem vitam academicam, in tractandis literis humanioribus, duce atque comite fideliſſimo uſus eſt. Horum quidem omnium in ſe erudiendo curam, gratiſſima mente praedicat. Hac domeſtica inſtitutione bene praeparatus, anno LXX. ad Academiam acceſſit, iam anno LXVII. a Wincklero ciuium academicorum numero adſcriptus. Ab eo tempore in Philoſophia ſecutus eſt Garvium, in Matheſi Bortzium. Graecis latinisque literis excolendis auditor adfuit Moro, et Segero Cic. Orat. in Verrem explicanti. Ab Erneſtio D. hiſtoriam catholicam, eccleſiaſticam, Antiquitates Rom. et Archaeologiam percepit; Erneſtio Eloqu. Prof. differendi exercitationes regenti, adſedit. Imperii Romano-Germanici, et Patriae hiſtoriam, Boehmius eum docuit; artem diplomaticam Wenckius. Cum autem Iurisprudentiae inprimis ſtudium ſuum dicaſſet, iam ICtorum ſcholas adiit, et in his audiuit Sammetum Ius naturae, Inſtitutiones, et romani Iuris hiſtoriam enarrantem; Schottum, encyclopaediam iuridic. Ius romanum, publicum univerſale, germanicum, et eccleſiaſticum exponentem; Rauium ius clientelare tradentem, et differendi exercitia inſtituentem; Einertum, Wernheri compendium iur. ciu. explicantem. Digeſtorum, et iuris criminalis doctrinam, a Zol-

lero, ius publicum Germaniae a Franckio, et formulam iudiciariam a Tob. Richtero percepit. Interfuit etiam Hommelii praelectionibus iuris germanici et canonici, Viri praeclare de se meriti, cuius saluberrimis consiliis, et in ingredienda, et in persequenda studiorum ratione, mirifice adiutum se esse, laetabundus profitetur. Artem e commentariis iudicum referendi, debet privatissimis scholis Winckleri, Patroni multis sibi nominibus colendi, cuius in se fauorem non potest non pie praedicare. Anno praeterito, d. XVII. Mart. Praeside Schotto, patrono maximopere colendo, diserte defendit dissertationem e Iuris ciuilis Historia, *de praescriptione aduersus ciuitates.* Paulo post habitis consuetis lectionibus, et superato examine, d. VII Maii anni LXXIV. utriusque Iuris Baccalaureus renunciatus est. Eodem anno exeunte socius adfuit in Cathedra Philosophica, Wolfio A. M. in defendenda disputatione, *de latinitate ecclesiastica in Codice Theodosiano,* quam alio loco laudauimus.

FRIDERICVS ANDREAS GALLISCH,

LIPSIENSIS

Medicinae Baccalaureus.

Natus est in hac urbe, anno Saeculi LIV. patre Georgio Godofredo, Pharmacopaeo, matre Maria Regina, nata Netzelia. Ab his optimis parentibus, ab ineunte aetate, domesticis praeceptoribus literis et moribus formandus traditus est, inter quos Meuselium inprimis laudat. Mox missus est ad Leisnerum, Scholae Thomanae rectorem, ut priuatissimis eius lectionibus interesset. Anno dein aetatis duodecimo in Scholam Portensem missus, per quatuor annos, benignissimis praeceptoribus ita usus est, ut, cum omnium in se beneuolentiam dignis laudibus prosequi non possit, tamen Ferberi inprimis, nunc agri Weissenseensis Ephori, in cuius domo vixit, cuiusque curae traditus fuerat, studium in se, et amorem vere paternum, silere non potest; non enim facile excidit ingenuo animo beneficiorum memoria. Rediit ex ea schola Lipsiam anno LXX. Academiae ciuibus accensus rectore Plazio, quem pie colit. Iam prima curarum fuit humaniorum litterarum studium. Ernestii igitur

et Clodii, Ciceronem et Tacitum explicantium, ſcholis interfuit. Tum acceſſit ad Garvium, ut hoc duce totius Philoſophiae ambitum cognoſceret. Secuto tempore Matheſeos praeceptores habuit Ebertum, deinceps Langium, Academiae Architectum, cuius et nunc inſtitutionibus libenter utitur. Vt medicae arti, cui ſe dederat, operam nauaret, interfuit primum botanicis Ludwigii lectionibus, cuius ex amore et inſtitutione praeclara magnum ſe fructum cepiſſe, gratus commemorat. Ludwigio litteris et ſibi erepto, alterum Botanices praeceptorem habuit Pohlium, filium; Anatomiae Haaſium, Boſium deinceps; etiam hunc Phyſiologiae; rurſus Gehlerum et Leonhardum, cuius et nunc chemicis et pathologicis lectionibus intereſſe coepit. Medicinae hiſtoriam a Plazio, Phyſicen a Ludwigio, filio, et Funccio, accepit. Quum vero per omne fere vitae tempus, tum imprimis per academicae vitae decurſum, omnis humanioris ſcientiae fidum magiſtrum et ducem habuerit Zeunium A. M. virum doctiſſimum, ita ut, quidquid in his profecerit, eius potiſſimum inſtitutioni tribuendum cenſeat, cuius quippe priuatis et priuatiſſimis lectionibus latinae et graecae linguae, Rhetorices, Logices, artisque diſſerendi et ſcribendi, hoc maiori cum voluptate interfuerit, quanto uberiores inde fructus percipere ſe intelligeret, quantoque maiorem eius aſſiduitatem amoremque in ſe docendo admiratus ſemper ſit. Huic viro doctiſſimo, hic publice gratiſſimum animum teſtatur, optatque, ut gratus eſſe aliquando re ipſa poſſit. Anno proxime praeterito fugiente, ab incluto Medicorum Ordine prima laurea ornatus eſt, quod ille collatum in ſe beneficium gratiſſima mente agnoſcit.

IOANNES CHRISTIANVS LIMPRECHT
Studiis se abdicavit et duxit matronam divitem Lipsiensem 1780.
GRIMENSIS.

Natus eſt anno MDCCXLI. patre Ioanne Martino, quem puer decennis amiſit, matre Maria Dorothea Engelmannia, parentibus pauperibus, ſed piis, qui a prima pueritia filium Chriſtianae doctrinae initia docuerunt, tradideruntque deinceps idoneis magiſtris erudiendum. Laudat ſcholae patriae praeceptores, Sormanum, Redlichium, Rothium, Schloeſſerum, atque inprimis Keyſerum, cui fere omnia, quae aſſecutus Grimae in litteris ſit, debeat.

Orbus

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/26
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Orbus patre, cum maximis miſeriis conflictatus eſt, eo quod mater aegre ſe ipſam ſuſtentaret. Opportune autem ſubuenit Stemleri, dioeceſ. Grimenſis tunc Ephori, benignitas, qui adoleſcenti, quem paterno animo complectebatur, litterarum ſtudiis proſequendis auctor ſuaſorque exſtitit. Acceſſit igitur ad nos anno LIII. inter externos, ut vocant, Scholae Thomanae diſcipulos receptus. Hic dura initia habuit, dum anno uno elapſo, prouida Dei cura Patronum nanciſceretur Winklerum, qui Ampliſſ. Senatui eſt ab Actis iudicialibus primarius, huiusque ſororem, Straubiam, matronam integerrimam. Hos parentum ſibi loco fuiſſe, ingenue fatetur, Deumque orat, ut vegeta ſenecta, vita longaeua, et omni bonorum genere tributa ſibi beneficia compenſet. Jam laudati Winkleri commendatione, a generoſiſſ. fratribus Kregeliis locum inter alumnos Thomanos, qui ab eorum nominatione pendebat, obtinuit. Praeceptores hic habuit Matheſium, Harrerum, Krigelium patrem et filium, Hofmannum, Fiſcherum denique, atque Erneſtium, et cum hic de munere ſcholaſtico decederet, Leiſnerum. Iſtorum omnium beneuolentiam, atque in ſe inſtituendo fidem, gratus agnoſcit. Commemorat etiam inſigne beneficium illuſtris Küſtneri, quod in ſe contulerit, primi anni academici ſumtibus ſuffecturum. Iam igitur Academiae nomen dedit anno LXIII. rectore Ludwigio, ſex annis in Schola Thomana exactis; et cum Erneſtii Doctoris inſtitutionem ſibi inprimis fructuoſam fuiſſe intellexiſſet, iterum ſe in eius diſciplinam dedit, eiusque praelectionibus theologicis aeque ac philologicis interfuit omnibus. Winklero operam dedit Philoſophiae, Phyſices, et logicarum exercitationum cauſa; mathemata eum docuerunt Rudolfus et Bortzius; hiſtoriam patriae Boehmius; morum doctrinam Cruſius et Gellertus; artem pro concione dicendi Bahrdtius, Seydlizius, Thalemannus; ritus noſtri libros ſymbolicos explicuit Scharfius. Hebraicae linguae ſcientiam a Dathio et Krigelio accepit; graecae a Fiſchero; ſacrorum emendationis a Koernero, cui et multis aliis de cauſis ſe obſtrictum fatetur. Erneſtium Eloqu. Prof. audiuit Logicam docentem, et ſcribendi differendique latine exercitationes inſtituentem. Inter haec ſtudia morbo oculorum paene oppreſſus eſt, ſeruatus tamen beneficio Ludwigii, et Fregiae, Trieriae, Galliſchii item liberalitate. Quo

tempore

tempore iterum Winkleri et ſororis benenolentia emicuit. Iam, Erneſtii iun. potiſſimum ſuaſu, de honoribus noſtris petendis cogitare coepit; neque tamen id conſilium exequi datum fuiſſet, niſi acceſſiſſent Erneſtii D. Winkleri, et commendantibus Winklero atque Gaudlizio Rivini viduae, matronae ornatiſſimae, beneficia, quibus proinde, ut praeceptoribus omnibus, gratiſſimum tota vita animum pollicetur.

CHRISTIANVS TRAVGOTT VOIGT

GRVNAVIA LVSATVS. † in Lipſia 1793

Vico propter Gorlicium natus eſt anno Seculi XLVI. patre Godofredo, honeſto genere, matre Maria Dorothea Huebelia. Primam pueri aetatem parentes ipſi, praeceptis et exemplo, imbuerunt ſenſu honeſtatis, et non fucatae erga Deum pietatis; Lederus autem A. M ſacrorum eo loco antiſtes, elementa latinitatis docuit. Gorlicium deinceps miſſus, nouem annis integris in diſciplina fuit Pitterſii, Schulzii, Vrbani, Groſſeri, Geiſſleri, Baumeiſteri denique rectoris, quorum omnium doctrinam et beneuolentiam magnopere laudat, Geisleri potiſſimum, in cuius domo per quinquennium fuerit, auctus a Viro multis et magnis beneficiis, re et conſilio, commendatus etiam patronis, qui pauperem, ultra quam dici poſſit iuuerint, atque parentum egeſtati ſuccurrerint. Idem ante eum Fratri, qui nunc eccleſiae Volckersdorfenſi praeeſt, acciderat, cuius laudes etiam ad ſe manaſſe fatetur. Geislero igitur commendante, patronos Gorlicii nactus eſt Hermannum et Crudelium, Senatores de ciuitate ea meritiſſimos; Richium conſulem, virum inſigni erga litterarum ſtudioſos liberalitate, cuius beneficio omnes paene matheſeos partes, ab Holzhammero, iſtarum diſciplinarum gnariſſimo, edoctus eſt; conſulem item alterum, Rothium, virum ſingulari prudentia. Laudat etiam beneuolentiam Behrnaueri, Gravieriae, Iſaaci, Blumenthaliae, Bellmanniae, et aliorum. Grata etiam mente recolit Riſmanni in ſe inſtituendo dexteritatem et fidem; nam illi potiſſimum ait ſe debere linguarum, hebraicae, chaldaicae, ſyriacae facultatem. Lipſiam venit rectore Winklero, anno LXVII. quo duce philoſophiam omnem,

et

et phyſicen, perſcrutatus eſt. Gellertum audiuit ſuper morum doctrina. Plurimum ſibi tamen profuiſſe praedicat Erneſtii Eloqu. Prof. diſciplinam, et Mori, a quibus graeca et latina dilicerit. Illius commendatione inprimis factum eſſe, ut in clientelam veniret Ven. Erneſtii D. cuius tanta, a multis inde annis, in ſe beneuolentiae documenta exſtent, ut eorum inire numerum nullo modo poſſit; tamen, ut poſſit eſſe par habendis atque agendis tota vita gratiis, in eo diligentiſſime elaboraturum. Interfuit Viri praelectionibus omnibus, cui etiam eſſet a manu; ſummoque ſtudio eius doctrina, alloquio, libris denique, uſus eſt. Inter patronos, qui ſibi contigerint, celebrat etiam Generoſiſſ. in Luſatia Gersdorfium, et generis nobilitate, et amore litterarum inclutum, cuius liberalitas et beneuolentia in ſtudioſos artium clarent. Inſignia beneficia, quibus ornatus ab eo ſit, ſe nunquam ex animo dimiſſurum, ſpondet.

CHRISTIANVS GODOFREDVS WITTICH

FRIBERGENSIS.

Natus anno Seculi XLIX. patre Ioanne Godofredo, qui erat a rationibus Noſocomii Fribergenſis, matre Chriſtiana Eliſabetha Küchenmeiſteria. Patrem puer quadriennis amiſit; iam igitur cura omnis educandi filii ad matrem venerat, quam illa ita geſſit, ut hic, gratiſſimi animi ſenſu plenus, quomodo laudare pro dignitate poſſit neſciat. Sublata mox e viuis et hac, in tutelam conceſſit Hermanni, a rationibus Senatus Fribergenſis, cuius recenſendis beneficiis imparem ſe ait, igitur et laudandis. Domeſticos praeceptores habuit Burkardum et Hermannum, tutoris filium, quorum uterque iam ſacro muneri praeeſt. Traductus deinceps ad Scholam publicam patriae, profecit doctoribus Gebhardo, Hurtzbachio, Bidermanno, Luthero, Hüblero. Ad hanc inde ſtudiorum Uniuerſitatem acceſſit anno LXVIII. rectore Boehmio. Philoſophiam omnem, et Theologiam, petiit e ſcholis Cruſii; in exegeticis Erneſtium, Richterum, Pezoldum ſecutus eſt; in hebraicis Boſſekium, in hiſtoria Erneſtium et Burſcherum; elegantioribus litteris excolendis iterum Erneſtium, et Clodium. Frequentauit etiam ſcholas Gellerti, Krauſii, Sammeti, atque iis omnibus ſe

obſtrictiſſimum fatetur. Ut poſſet litterarum ſtudiis ſine querela nauare operam, Ampliſſ. Senatum Fribergenſem, decreto ſibi annuo ſtripendio, quod gratus agnoſcit, effeciſſe. In hac noſtra vrbe benefactores ſuos nominat Cruſium et Boſium, quorum beneuolentiam ſibi impenſe gratulatur, ſpondetque, nullo umquam tempore eius memoriam ſe depoſiturum.

CHRISTIANUS GOTTLOB SCHNEIDER

Diaconus

WOLKENSTENIO MISNICVS.

Niveo-Montanus 1777.

Pastor Oederanus 1786, Apoplexia tactus 1803.

Natus anno huius Seculi XLV. patre Ioanne Georgio, limbolario, matre Anna Roſina Bergeria, primas litterulas a Koehlero, affine ſuo, et Kempio, percepit, ſed non ultra progreſſus, opificio patris adhuc puer admotus eſt, quod ad annum usque aetatis XIX. exercuit. Patre dein mortuo, conſentiente matre, quod ſentiret ſe accendi ad ſtudia, Chemnitium commigrauit, deditque ſe in diſciplinam Iüngeri atque Hageri, eius ſcholae doctorum. Anno LXIX. Wittenbergam iturus, Lipſiae ſubſtitit, eſtque rectore Plazio ciuibus noſtris accenſus. Hic ſe iam totum philoſophiae et theologiae ſtudio dedit: frequentauit igitur Cruſii ſcholas priuatas et publicas omnes, eſtque a viro vener. multis et magnis beneficiis, et nuper admodum ſtipendio nationis Miſnicae, petendis Magiſtri artium honoribus, auctus atque ornatus. Quae ille omnia gratiſſimo animo, et piis votis proſequitur. Uſus eſt et Pezoldi doctrina, cuius beneuolentiam atque amicitiam non tenuem felicitatis ſuae partem reputat. Matheſin duce Garuio didicit. Hebraica, et iudaicas antiquitates docentem Dresdium audiuit, cuius amicitiam laetus commemorat. In hiſtoricis Erneſtium, Burſcherum, doctores ſecutus eſt; interpretandis auctoribus graecis et latinis, Morum et Clodium. Praeter hos etiam Gellertum, Stemlerum, Hebenſtreitium, quo familiariter uſus eſt, laudat, multumque ſe illorum praelectionibus debere gratus praedicat. Celebrat patronos, Apelium, Scharfium, Heydenreichium patruelem ſuum, eoque ſenſu eſt, ut omni vita gratiſſimam memoriam beneficiorum ſibi ab iis tributorum ſeruaturum ſe promittat. Uno anno Lipſia abfuit, liberis generoſiſſ. Holleuſeri litteris et moribus

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/30
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

bus formandis; et hunc liberalem erga se et beneficum fuisse, fatetur. Iam docendis literis operam dat, estque Volsakii filiis praeceptor additus, et insignibus a patre beneuolentiae documentis ornatus.

CHRISTIANVS ERNESTVS WÜNSCH

HOHENSTEINENSIS

Medicinae Baccalaureus.

Schoenburgici comitatus oppido natus hic anno seculi XLIV. patre textore, quem cito amisit, matre Maria Regina, Benderi filia, vix coeperat uti puer institutione praeceptorum scholae patriae, Sperkio et Seidelio, cum arti textoriae, quod eam pater exercuisset, addiscendae, inuitus admoueretur. Hic eum casus a litterarum cultura penitus abstraxit, duxitque, posito tirocinio, ad magisterium eius artis, anno aetatis XVIII. Sed cum iam esset sui iuris, possetque nare sine cortice, coepit legere opera philosophica itemque mathematica immortalis Wolfii, iisque legendis ita delectatus est, ut, obsequendum ratus propensioni ad litteras, mutato vitae genere, Lipsiam properaret anno LXVIII. Plazio rectore albo ciuium inscriptus. Hic linguae latinae initia accepit a Leskio, fautore suo, iam hist. naturalis Professore; mox Morum, Ernestios, Boehmium, Crusium, Burscherum, Bortzium, Winklerum, Garuium, Funccium, Clodium, Klausingium, Eckium, Zeunium, philosophiae, mathematum, physices, historiae, bonarumque litterarum addiscendarum causa, secutus est doctores, quibus omnibus gratias se magnas debere non diffitetur. Cum autem arti potissimum medicae studere constituisset, primum omnium Ludwigio operam dedit, quo fidelissimo doctore, et patrono summo, in cuius etiam domo aleretur, se usum esse, gratus praedicat. Ab hoc venit ad Plazium, cui se inprimis magnam felicitatis partem debere ita sentit, ut vehementer cupiat gratus videri. Huius igitur viri, ut et Pohlii, Bosii, Gehleri, Krausii, Platneri, Leonhardii denique, praelectionibus iis interfuit omnibus, quae quoquo modo ad artem medicam pertinere viderentur. Anno

LXXIII. Ludwigio, Artium Magiſtro, de Aethere varie moto cauſa diverſitatis luminum diſſertationem publice proponenti, defenſor adfuit; ſubinde, anno proxime praeterito, tentatus pro more, Baccalaurei medicinae dignitatem meruit. Fecit etiam ſcribendi periculum, edita de viſus phaenomenis quibusdam diſſertatiuncula, ſummis in medicina honoribus Reinigeri dicata. Patronum, qui petendis philoſophicis honoribus, poſt ill. Plazium, inprimis profuiſſet, nominat Weiſſium, cenſitorem in hac urbe electoralem, cuius ingenium, doctrinam, humanitatem, cum Wünſchio, boni omnes, et qui amant elegantiores litteras, uno ore, et merito praedicant.

IOANNES GOTTLOB BERNHARDI

GORLICIO LVSATVS.

Nov. Lect. 1760. D. Theol. 1800. poſt Archid. Ilon: Diaconus ad Ad.

Patriam habet Gorlicium, in qua vrbe anno Seculi XLIX. natus eſt, Patre Gottlob Chriſtiano, cauſarum patrono, matre Charlotta Sophia Hoernigia, quorum parentum in ſe educando diligentem curam condignis celebrare laudibus ait ſe non poſſe. Ad annum decimum a praeceptoribus domeſticis religionis et litterarum initiis imbutus, Gymnaſii dein Gorlicenſis diſciplinae traditus eſt, cuius praeceptores ad unum omnes, quod publice profitetur, omni fide et dexteritate ingenium adoleſcentis excoluerunt, et imbuerunt ſenſu virtutis, et amore doctrinae. Baumeiſteri inprimis, rectoris, et Groſſeri, qui neceſſitudine ſibi iunctus ſit, inſignia beneficia, gratiſſima mente agnoſcit. Celebrat etiam Legatum Tribuni equitum, generoſiſſ. Dom. de Steindel, qui per tres annos, et amplius, ſingulari ſe beneuolentia complexus ſit, commendaueritque Gorlicio diſcedentem amicis ſuis. Anno LXX. me rectore Lipſiam venit, ciuium noſtrorum numero adſcriptus. Philoſophiae placita a Garuio; diuinarum rerum doctrinam, hiſtoriam ciuilem et eccleſiaſticam, nec non interpretandi artem, et Archaeologiam litterariam, ab Erneſtio accepit. Cruſium, cum theologiam dogmaticam, morumque doctrinam, et apte pro concione dicendi praecepta traderet, atque religionis noſtrae diuinam originem ex hiſtoria demonſtraret, ſecutus eſt. Inſtauratae religionis initia et progreſſus, et Philoſophiae fata, Burſcherus; recentioris aetatis ciuitatum hiſtoriam Wenkius; Iuris Canonici placita

Hom-

Hommelius, tradiderunt. In hebraicis Boſſekii et Dathii; in graecis et latinis Mori doctrina uſus eſt. Ita quatuor annis exactis, nuper ab Erneſtio publice dicendi copiam ſibi factam laetatur, in aede Paulina, de commodis, quae religio ex controuerſiis capiat, differendi. Toto hoc vitae academicae curriculo diuinae benignitatis documenta multa et magna expertus eſt. Fruitur enim ad hunc usque diem ſtipendio litterario, quod Sereniſſimi Electoris indulgentiae debet. Patronos praedicat, Generoſiſſ. Dom. de Minkwitz, qui ſe potiſſimum perill. Globigio efficaciter commendauerit: Morum, qui non docendo tantum, ſed et conſiliis regundorum ſtudiorum, iuuerit. Et huius potiſſimum commendatione factum eſſe, ut a Gehlero in domum reciperetur, filio litteris et moribus formando. Ea in domo omnis felicitatis ſuae fundamenta iacta eſſe intelligit. Non enim iis tantum, quae uſu veniant, beneficiis, augeri ſe atque ornari; ſed multo exſtantioribus, quibus vel enumerandis, vel extollendis, ſe inparem ſentiat. Malle igitur ſe grati animi ſenſu, quam verbis, quae conſuetudo ambigua reddat, haec tanta beneficia proſequi, omnique vita ſua, quantum viro eximio, totique domui Menckeniae debeat, teſtatum facere.

IOANNES GVILIELMVS FVHRMANN

OSTERMONRA THVRINGVS. *mort: mense Aug: 1780. Ir Ogiae Odin.*

Natus eſt hoc vico propter Coelledam, anno huius Seculi L. patre Ioanne Michaele, fabro ferrario, matre Ioanna Catharina Baueria; quorum parentum in ſe educando, primisque religionis et litterarum elementis imbuendo, fidem atque curam pie ſemper venerabitur. Sed mox venit ſponte ſua in educandi ſocietatem patruus, qui tum ludo Orphanotrophei Halenſis cum aliis praeerat. Ille enim, ſeptem annos natum Halam accerſivit, ibique erudiendum curauit, multisque cumulauit beneficiis ad hunc usque diem, ita ut patris loco colendum ſibi exiſtimet. Hoc Schwerinum ſacris faciendis evocato, conceſſit, auctore Moſſdorfio, qui praefecturae Eccardibergenſi praeeſt, Numburgum: ibi praeceptoribus uſus Mehmelio, Staffelio, Milkio, iſtorum inſignem in ſe docendo aſſiduitatem, et in iuuando curam, gratus agnoſcit; neque reticet illorum nomina, quos ibi fauto-

res praecipuos habuerit, Oehleri, Krampfii, Lauhmii, Kayſeri, maxime vero Thymii. Exacto fere ſexennio, acceſſit ad hanc literarum Vniuerſitatem, ciuitate academica donatus anno LXXI. a Plazio t. t. rectore. Cum vero, ſacris potisſimum literis operam daturus, ex idoneis auctoribus cognouiſſet, plurimum adiumenti accedere Theologiae ex philoſophiae et elegantiorum literarum praeſidiis hanc ſtudiorum rationem tenendam exiſtimauit, ut diuinarum literarum ſtudio accuratam humaniorum cognitionem, perpetuam quaſi comitem, adiungeret. Eo conſilio ſecutus eſt in philoſophia univerſa Garvium, quem et veteres philoſophos explicantem audiuit, atque Platnerum, cuius et ſcholis anthropologicis interfuit; in Matheſi, Borzium; in Phyſicis, Hauboldum ſecutus eſt. Humanitatis ſtudia ſeuerius tractaturus, audiuit Erneſtium, hiſtoriam catholicam, antiquitates romanas, et archaeologiam literariam enarrantem; Erneſtium, Eloqu. Prof. in Ciceronem de officiis, et Virgilii Aeneida commentantem; Clodium, Horatium, Plinii Panegyricum, et mythologiam ex antiquis monumentis illuſtrantem; inprimis autem Morum, tum praeſtantiſſimos graecos latinosque ſcriptores et plerosque N. T. libros interpretantem, tum eloquentiae praecepta tradentem, tum etiam interpretandi facultatem per quaeſtiones in Epp. ad Corinthios et Romanos explorantem. In Theologia omni uſus eſt doctore Erneſtio, cuius praelectionibus interfuit omnibus, et de eius diſciplina et benevolentia verisſime laetatur. Neque ſine fructu adfuit, uti Cruſio, errores profanorum refutanti, religionem e Phyſica illuſtranti, et de virtute chriſtiana praecipienti; ita Burſchero, philoſophorum et inſtauratae religionis; atque Eckio, literarum hiſtoriam enarranti: Thalemanno autem, interpretem librorum diuinorum neceſſaria praeſidiorum notitia inſtruenti; Loesnero particulam Lucae enucleanti. Hebraicae linguae indolem percepit ab Antonio et Dathio. Ingenio adiuendo fructuoſiſſimas ſibi fuiſſe dicendi ſcribendi, et vero etiam docendi exercitationes, quibus monendo et regendo Morus praeeſt, gratus agnoſcit. Superiore anno, a Graefenhainio A. M. in diſſert. de interpretationibus N. T. argutis magis, quam veris, ex cathedra philoſophica defendendae ſocietatem, eodem Moro commendante, adſcitus fuit. In hoc ſtudiorum curſu, ſuſtentatus eſt, praeter electorale Senatusque ſacri Cizenſis beneficium, ut Patrui et

Stemle-

Stemleri benignitate, ita etiam Koerneri et Strausiorum, alterius Concionatoris aulici Dresdensis, alterius Pastoris nunc primarii Ricobacensis, commendatione. Inprimis vero per omnem vitam academicam Morus institutionis praestantia, colloquiorum dulcedine, salubritate consiliorum, beneficiorum denique luculentorum multitudine, ita hunc sibi devinxit, ut, quantum praeceptori discipulum debere fas sit, tantum ei se debere laetabundus praedicet. Praeterea maximopere sibi gratulatur eximiam virorum summorum beneuolentiam, Boehmii, atque Ernestii, quibus, ut alia humanitatis documenta taceat, hoc potissimum debeat, quod auctoritate sua effecerint, ut ab Ordine Amplissimo pecunia petendis summis in philosophia honoribus ornaretur; quo beneficio, ut nunquam possit indignus videri, diligenter elaborabit. Mihi ipsi, et propter doctrinae copiam, quam in eo aduerti, et propter sanctitatem morum, semper carus fuit.

ADOLFVS FERDINANDVS GOLDAMMER

LIEBENWERDA SAXO.

Natus est anno seculi LI. patre Andrea, mercatore, et Iudice prouinciali, matre Christiana Sophia Bilitia. Non defuit indefessum optimorum parentum honeste et liberaliter educandi filii studium. Ipsi patri libuit, prima ei literarum et Christianae doctrinae elementa tradere. Scholam deinde patriam ingressus, profecit in disciplina praeceptorum eo ludo merentium. Inde transiit, Seren. Electoris beneficio, in Scholam Electoralem Grimensem, in qua per sex annos, principali beneficio altus, et praeclare eruditus est, Praeceptoribus Richtero, Syboldo, Genselio, Hofmanno, Fritschio, Mückio, Krebsio denique. Horum virorum industria bene praeparatus, ad hanc Academiam accessit rectore Plazio a. LXXI. Initium fecit a Philosophia discenda, omninoque a literis humanioribus. Adiit propterea Seydlizium, quem de omnibus fere partibus eius exponentem audiuit. Priuatis quoque eius exercitationibus dialecticis interfuit, estque patronum expertus. Ad Bortzium accessit, matheseos discendae causa. In graecis Morus, in hebraicis Dresdius, operam ei adprobarunt. Neque tamen

Dathii

Dathii scholas neglexit. In Theologia excolenda maxime sectatus est Ernestium; cui etiam adfuit Historiam, Archaeologiam literariam, et Antiquitates romanas proponenti. Crusium de Theologia dogmatica et morali exponentem, profanorum errores confutantem, et religionem e Physica illustrantem, solerter audiuit. Burscherum, Historiam catholicam, ecclesiasticam, et repurgationis sacrorum tradentem, frequentauit. Thalemanno duce theologiae dogmata repetiit, eiusque praelectionibus in Boerneri Isagogen Hist. lit. sacrae interfuit. Platnero operam dedit in anthropologicis p aelectionibus, item super Medicina forensi et humani corporis oeconomia. In Patronis primo loco habet, et merito, ill. L. B. ab Hohenthal, in Consist. primario Dresdensi Praesidem vicarium rel. a quo, postea quam ei innotuisset, insignia habeat beneuolentiae prorsus singularis, atque liberalitatis documenta. Vitae academicae sine querela transigendae profuit in primis, quod esset inter beneficiarios electoralis munificentiae, et quod a Bielitio, qui est a consiliis Commissionum Camerae, larga manu sustentaretur.

IOANNES GODOFREDVS BEYER, Doctor dispu
Oberschaenenses 1779.
HALSBRVCCIO MISNICVS.

In vico ad Fribergam, qui dicitur Halsbrücke, anno huius seculi LII. patre Ioanne Godofredo, metalli fodinarum rectore, matre Ioanna Sophia, gente Gebhardia, natus est. Qui quidem parentes optimi instituendum mature tradiderunt Tuttendorfensis ludi magistris, Helbigio et Kochio, cuius, insigniter de se promeriti, institutione, cum propter belli calamitates per aliquod tempus caruisset, iterum ei traditus, ita in graecarum ac latinarum literarum elementis per biennium profecit, ut anno LXVI. huius seculi in numerum discipulorum ludi Fribergensis recipi posset. Ibi per quinquennium praeceptoribus usus est fidelissimis, suique amantissimis, Hüblero, Gebhardo, Kesselio, Luthero, Bidermanno, quorum omnium non satis laudare in se instituendo diligentiam potest. Hübleri inprimis, et Bidermanni, singularem erga se beneuolentiam fuisse, gratus meminit. Ibidem, ex munificentia Amplissimi Senatus, per tres fere annos nutritus est, patronum inprimis nactus

ctus Koberum, Senatorem, qui adoleſcentem non modo conſiliis, ſed etiam re iuuerit. Literis ulterius excolendis, Viteberg am petiit, nomen inter ciues academicos profeſſus, Hillero rectore; paullo tamen poſt, mutatis conſilii rationibus, Lipſiam anno LXXI. huius ſeculi conceſſit, rectore Plazio in numerum ciuium relatus. Hic Philoſophiae addiſcendae cauſa adiit Garuium et Zwanzigerum: in literis humanioribus praeceptores habuit Morum, Erneſtium El. Prof Patronum multis nominibus ſibi colendum, Eckium, Clodium, Reizium, Wolfium denique, cum illi vel graecos latinosque ſcriptores explicarent. vel diſſerendi ſcribendique exercitationes inſtituerent. Atque nunc incidit calamitoſiſſimum illud tempus, quo luctuoſiſſimam patris iacturam faceret, qui etſi non omne quod neceſſe, tamen pro facultate dederat quod poſſet. Miſero nihil iam ſupererat, quam relinquendae Academiae neceſſitas. Sed ecce prouidentia Dei opportune ſuccurrit. Senatus enim Fribergenſis, ſimulac mortem patris intellexerat, ſtipendium ei prorogandum decreuit, intercedente potiſſimum Patrono iam laudato, Kobero. Ita rei familiaris tenuitate aliquantum ſublcuata, laetus ad ſcholas noſter rediit, omnesque Erneſtii lectiones, aſſidue frequentauit. Saxonicam hiſtoriam Boehmius; Philoſophiae et inſtaurationis ſacrorum Burſcherus, tradiderunt. In recte intelligendis N. T. libris duces habuit, praeter Erneſtium, Morum et Wolfium, quem per omne vitae academicae tempus ducem et comitem fideliſſimum, ſuique ſtudioſiſſimum habuit. Neque tamen Cruſii et Bahrdtii ſcholas ſibi negligendas putauit. Igitur hunc, cum harmoniam Euangeliorum oſtenderet; illum, cum pſalmos Davidis enunclearet, praecepta Theologiae moralis traderet, et contra profanos diſſereret, religionisque veritatem e phyſica traderet, ſedulo audiuit. Itauit etiam ad Richterum, cum praecepta artis homileticae, et interpretationem Euangelii Matthaei proponeret. Lectionibus Dathii in V. F. libros tribus fere annis continuis interfuit, ita ut, quidquid in his profecerit, id fere ei ſoli debere ſe libenter fateatur. Audiuit vero etiam lectiones in V. T. Antonii et Boſſeckii. Thalemanni diſciplina uſus eſt, cum Iſagogen Boerneri in Scr. S. enarraret. Superiore anno commendatus Kindio, Senatori, eius liberos inſtituit, multisque eius beneuolentiae documentis ornari ſe agnoſcit. Vt philoſophicos honores poſſet petere, adiu-

tus est beneficentia Ludovici, Professoris, viri integerrimi, quam pio semper animo, ut decet, venerabitur.

IOANNES GODOFREDVS GROS

THALWICIO MISNICVS.

Natus anno h. f. L. parentibus Godofredo, colono, matre Maria Dorothea Stichelia. Et hi quidem parentes, filium ab ineunte aetate, quantum pro census sui tenuitate possent, diligenter honesteque educandum, et omni cura ac fide erudiendum curarunt. In ludum patriae deductus, prima literarum et religionis elementa, Wiesneri Diaconi, et Weyrauchii Cantoris institutione, didicit. Et hic quidem, ingenio discipuli cognito, Patrem, sumtibus in studia filii erogandis imparem, tamen eo adduxit, ut aliqua linguae latinae et Musices cognitione imbuendum ei traderet, effecturum sponenti, ut paucis impensis inter nobilioris cuiusdam scholae discipulos reciperetur, atque aleretur. Sed inopinata optimi istius senis mors spem eam, magno huius dolore, praecidere videbatur. Pater enim retrahere filium quouis modo ad agriculturam studebat, et retraxisset, nisi mortuo Ottoni, sacrorum antistiti, successisset vir nostro multis nominibus vere reuerendus, Cramerus A. M. Hic enim, de pertinaci adolescentis discendi studio certior factus, operam dedit, ut, quod futuro scholae prouincialis Alumno deesset, (deerat autem quamplurimum,) eo ut cunque instructus, XV. aetatis anno, censui Alumnorum! Electoralium adscribendus, Grimam deduceretur. Qua quidem in schola, Sereniſſimi Electoris beneficio, per sex annos integros nutritus, et fideliſſima Richteri, Siboldi, Reichardi, Hofmanni, Mückii denique, et Krebsii rectoris, optimorum praeceptorum, institutione atque cura gauisus est. Haec animo suo veneranda nomina laudare non aggreditur, quod exitum laudum pietas non facile inuenerit. Lipsiam adiit anno MDCLXXI. Academiae ciuitate donatus a Plazio rectore. Studiorum rationem secutus est hanc, ut primum de Philosophia universa disquirentem Garuium sequeretur, mox Seydlizium, quem sibi doctorem et Patronum contigisse vehementer laetatur. Moxo graecos scriptores interpretanti adsiduus adfuit. Platnero de oeconomia corporis humani, de anthropologia, nec non de medicina forensi differenti, adsedit: Burscherum, Historiam philos. enarrantem, diligenter audiuit. Iam Theologiae operam

daturus,

daturus, Ernestii praelectiones frequentauit omnes, quas sibi fructuosas fuisse atque perutiles, laetus et gratus fatetur. Nec poenitet Crusio contra profanos disputanti, et Theologiam e Physica illustranti, adsedisse. In literis haebraicis ex Thalemanni institutione profecit. His doctoribus omnibus gratum se omni tempore, memoremque animum seruaturum esse, sanctissime spondet Patronum primarium, Apelium D. si laudare velit, facile agnoscit, modestiam viri se offensurum; igitur neque tentare sustinet, daturus operam, ut gratissimi animi sensum, filio, cui comes studiorum additus est, bene instituendo, prodat.

FRIDERICVS GVILIELMVS GOETZE

NETZSCHKAVIA VARISCVS.

Primam lucem vidit Netzschkaviae, quod oppidulum est in Varicis prope Ricobacum, patre usus Ioanne Theophilo, procuratore census rerum venalium, cui natus est anno Seculi LIV. e coniuge Anna Rosina Lichtnekeria. Primis litterarum et religionis initiis in ludo patrio imbutum, quibusdam apti litteris colendis in puero ingenioli significationibus inductus, euocauit ad se patruus, Orphanotropheo, quod Waldhemio adiacet, praefectus. Huius in se merita exstare tanta fatetur, ut commemorando assequi non possit. Domesticum praeceptorem aluit, Herrmannum, cuius memoriam hic ita custodit, ut nulla unquam temporis diuturnitas evellere possit: tanta fuit in puero viuido et exsultante prudenter regundo, bonisque litteris expoliendo, fides ipsius et dexteritas. Sed vix disciplinae suae alumno, e cura ipsius dimisso, copiam fecerat alas extra nidulum exercendi, rebus humanis interesse desiit. Iam cogitanti patruo de studiis adolescentis domo proferendis, in ea sententia fuit, ut coniiceret in Scholam quandam, cum ecce Deus propitius offerret in rem praesentem virum perillustrem L. B. ab Hohenthal, Consistorii primarii Dresdensis Praesidem vicarium. Is, cum tentandi ingenii causa proposuisset Oden Horatianam eam, qua vitae rusticae delicias poeta persecutus est, cumque bene sperare de adolescente posse sibi visus esset, rerum eius scenam conuertit, auctorque fuit patruo, ut, mutato consilio, in Scholam illustrem Grimanam deduceret. Ibi cum vigeret disciplina antiqua, essetque omnium, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, litterarum affluentia: non potest sine voluptate mentem huius subire recordatio quinquennii, in dulcissimo Scholae eius sinu exacti. Posito ita sub magistris,

omni

omni praedicatione ſuperioribus, ſtudiorum tirocinio, cum academicis ſtudiis bene maturus aut eſſet, aut exiſtimaretur, anno LXXIII. Lipſiam profectus, dedit nomen ciuitati academicae, rectore Frankio. Hic celeriter, et naturali quodam elegantiae humanitatisque ſenſu percitus, et ſummorum virorum auctoritate confirmatus, ſe dare ad litteras humaniores, non ut aliquando totus ad eas adhaereſceret, ſed earum quaſi fundamentis quamcunque doctrinam, in qua poneret deinceps ingenii domicilium, inaedificaret. Quare ſcholis aliquot magnorum in his rebus virorum, Mori, Erneſtii, Clodii, Zeunii, intereſſe coepit: praeceptore uſus in philoſophicis Platnero, ut in purae Matheſeos diſciplinis Bortzio. Vacauit et Cruſio, religionem e Phyſica illuſtranti. Sed inprimis ſe applicuit ad ductum auctoritatemque Erneſtii D. cuius amorem a praeceptoribus ſcholaſticis inſpiratum, quaſi neceſſariam aliquam doctrinae partem in Academiam attulerat: aſſidens viro S. V. hiſtoriam catholicam, antiquitates, libros etiam N. F. enarranti. Inter haec exploratis accurate ingenii propenſionibus et viribus, cum detuliſſet dubitantem animi impetus ad Iurisprudentiam, ſe diſciplinae addixit Kindii, omne ius civile tradentis: a quo non minora, quam ab eius patruo, viro ampliſſimo, in ſe profecta pie agnoſcit propenſae voluntatis documenta. In iuris naturalis doctrina ſecutus Schotti praecepta, hiſtoriam legum romanarum a Sammeto percepit. Nuper, ſuffragatione Erneſtii, Eloq. Prof. cui et alia ſunt quae inexplicabili obligationis vinculo hunc noſtrum devinxerint, datus eſt formando erudiendoque Sickelii, mercatoris apud nos primarii, filiolo, quo, ſi mente et cogitatione fingendus fuiſſet is, in quo docendo operam collocare maxime vellet, nullus neque eximia efloreſcentis ingenii vi, neque ſuaviſſima animi indole melior contingere potuiſſet. Iam vero cum ſolemni ritu inuitarentur, qui litterarum liberalium curricula emenſi eſſent ad capienda doctrinae praemia et inſignia, maluiſſet, ita enim ſcribit, ſi modo viſus eſſet, iſto honore dignus videri, quam appetere; niſi liberalitate S. R. Grafii, et, quo praeter ſpem et expectationem auctus eſt, ſtipendio Groſſiano impulſus animus, inclinationem feciſſet.

36. 8° 5320

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/40
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/41
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

-5. Juli 1995		

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
2 0119171

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/42
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Hinweise

Gs. K - Bc.

Signatur	Stek
36. 8° 5320	Ru

RS	Bub	AK
		Ru

	Titelaufn.	AKB
	Ke	

FK

Bio K

Bild K

SWK

Sonderstandort	Signum	Ausleihe-vermerk

III/9/280 Jo-G 80/51

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/43
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn353714895/44
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG